Szołdrski Andr. Ep. Posn: Oratio in funere Serenissimi ac Potentissimi Principis Vladislai IV. Pol. et Sueciae Regis.

ORATIO
Jn funere Sereniſsimi ac
Potentiſſimi Principis
VLADISLAI IV.
POLONIÆ & SVECIÆ
REGIS.

Habita

Ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Domino

ANDREA DE SZOŁDRY
SZOŁDRSKI,
Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO POSNANIENSI.

Cracouiæ 15. Ianuarij. Anno Domini, 1649.

Typis Franciſci Cæſarij, S. R. M. Tyographi.

ORATIO.

QVod nemo noſtrum ſperaſſet, Sereniſſime Rex, Patres Ampliſſimi, cæteriq; Auditores ornatiſſimi, tantam Regiarum Heroicarumque virtutum, Inuictiſſ: Regis noſtri Vladislai; tam citò matureſcere potuiſſe ſegetem, vt medio, non anni ſolùm ſolaris, ſed etiam ætatis, fortunæ, gloriæ, demeſſus vere, ſupernis horreis, illius inferretur Manipulus. Mille æſtates meruerat, cui vel in rigido, bellicarum tempeſtatum frigore, pacis fertilitas non deeſſet. Niſi fortè diuiſum Imperium, cælum terraq; habere tunc contendebant, vt dum Nos, noſtrum Principem pacato ſedentem in ſolio, præſentem Nobis adeſſe lætabamur; illud inopinato euentu, eundem ereptum, cõtentiosè ambiret. Nimirum, is proprius cæli genius eſt, non expectare tempus meſſis, quando magnarum ſpicarum fructus, ſole iuſtitiæ cóòperante, adoleuiſſe cognouit. Nimia felicitas noſtra ſuſpecta illi eſt, adeòque (quod de Homeri natalitio prodidit antiquitas) pro ma-

gnarum animarum fortunatâ Maiestate decertat, vt eam, nullibi extra se, diu regnare patiatur. Quanquam ipsa Vladislai Maiestas, Superiora ambiendo, iam terrena caducaq; generosè fastidire visa, altiora & perennatura spirabat. Debentur sua virtuti præmia; illi patria cælum est, reptare in humili, nullatenus diu potest. Vti cælo demissus, cælo debitus, redditur cælo Vladislaus. Nos certè orbitatem nostram non sentire non possumus. Mors Principis fortunam Sarmaticam tumulauit. Illius eheu! fructus fuit, non tantum intra Principis amissi mærorem substitisse; verùm in ipso æstuantis belli feruore, cruentam tulisse fortunam; acsi cum Principe Vladislao tota felicitas deperiisset; quam vti Regnatrici solio insederat ipse, ita decedens, simul hanc, simul omnia secum recepit. Narrare non opus est, quæ quantaq; mala Regnum nostrum excepêre, dum immortalem Regis spiritum, cælum coronauit. Certè morte illius tota quasi terra visa est irasci, dum in vna Repub. populi in seipsos crudeliores, hostili in societatem fidefragi sceleris accitâ potentiâ, bella sibi inuicem contulêre. O diem nigrum! ô tristiorem tristibus fatis horam! quãdo non solùm Principis nostri purissimus, terrenorum pertæsus Regalium spiritus, in alta abiuit, verùm infaustus Mar-

tis

tis furor, in materna impio ferro, irrupit viſcera, auditaq; luctuosè diſſona totius Reipub. vox; cecidiſſe fortes Iſrael, periiſſe gladio bellatores ſuos luxiſſe terram in filiis Iſrael, luctu Matris Rachel, nec conſolari potuiſſe, quia non ſunt. Et licet ſuo Principi fidelis ſubditorum amor, proprio ſanguine parentaſſe tunc videretur, vt illo cadente hic ſolus ſtare nollet: maiorem tamen, hæc afflictarum rerum facies, augebat infelicitatem; imò infelicitas infelicitati obſecuta eſt; quando triſtia triſtibus compoſuit, vt iure mirari quis poſſet, ferreas Patriæ noſtræ baſes, tanto aduerſantis fortunæ impetu, nondum corruiſſe. Ad nutantia poſt ſum̃um verticem culmina, pœnè iam interierat ipſa, niſi quod adhuc ſupererat vigoris, tẽpeſtiuè intra ſe collegiſſet: Certè cælum noſtrum, cùm Sol in virtute ſua luceret, fuit Sereniſſimum; ſed infauſta tempeſtas, fatali nube obductam abripuit illi venuſtatem. Sed ita naturâ comparatum eſt, vt eò magis horrenda Nautis immineat naufragia, quo placidior tranquillo malacia proluſerit mari. Vidit aliquando Patria noſtra ad primas Vladislai cunas, arcem hanc arſiſſe; non poſtremum rerum feliciſſimè gerendarum prognoſticon, quod is aliquando Poloniam illuſtrare debuerat, cui naſcenti iam tum præſaga triumpha-

 les

les accendiſſet Cunina ignes. Illuſtrauit profectò, dum à materno complexu, Martio elatus in clypeo, vix puerilia egreſſus, nondum adultâ iuuentute, crudeli Moſcho ſuperbi Principatus, imperiiq; ſui, erepto diplomate, ſplendidum illud diademâ, laureato capiti ſuo, victrici manu parabat imponere, Illuſtrauit toties pleno amoris in Rempub. obſequio, dum quoties Patria bello arſiſſet, toties ille Regium caput periculis obieciſſet, atq; proprio ſanguine extinctum ignem iuiſſet. Illuſtrauit Othomanici furoris præter ſpem oppreſſo incendio, quando æſtuanti victorioſæ libidini, tantum ſanguinis Turcici oppoſuit, vt ſuo mari demerſus, proprio Tyrranus, natauerit in cruore; & qui Regnum ſuperbè inuadere conabatur, pacem ipſe modeſtè petere coactus fuerit; nec tãtillo terreni Polonici abrepto, quantum humãdis ſuorũ cadaueribus ſuffeciſſet. Ita qui ſibi fortunæ fauentis beatitatẽ ſpopõderat, eam demum tulit, quam Princeps Vladislaus auſpicio paterno dedit, non quam contentioſo Marte, ambitiosè dare ipſe nobis fruſtra cõtendit. Verùm illuſtrauit clarius, ipſo petendi Regni ſui auſpicio: Res mira, nec in liberis Rebuſpublicis audita; in tanta eligẽtium diuerſitate, tanta concordia. Videre erat Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ incolas

colas

colas; quid dico hos, quibus vnum velle, & nol-
le, mutua ſub vno capite inſtillauit ſocietas? ve-
rùm illos ipſos, quos tot locorum interuallis, tot
ingeniorum diſparitatibus, tot diuerſorum ſtu-
diorum contrariis motibus natura oppoſuit, ſplē-
dore meritisq; Vladislai, toto iam tunc orbe ra-
diantibus captos, vno ore Regem illum flagitaſſe.
Adeò tunc non labii tantùm, ſed & cordis vnius,
vniuerſa terra apparuit; vt prodigio ſimile videre-
tur, ſi quem tantus orbis vniuerſi plauſus excepit,
publico lumini datum, Polonia non putaſſet. Nec
vero ſplendori eius, intentata iterum Moſchouiti-
ci furoris nebula quidquam officere potuit. nec
repetita Othomanici Tyranni inſidioſa vis aliquid
tenebricoſum afferre; nec Sueticæ, quantùm in
Catholicum imperium, tantùm in Regnum no-
ſtrum præmeditatæ hoſtilitates, quidquam de-
trahere; quin & illum ad reddendas accumulan-
dasq; imperio ſuo, pace ſimul impetratâ, tres inte-
gras Prouincias, multasq; Arces victrici compu-
lerit manu, & alterum parata in vtramque aleam
fortuna, benè caſtigatum, cum ignominia vltra
Siliſtricos inglorium fugauerit ſitus, & hunc ad
petenda iaciendaque cum ſuis ditionibus fædera,
exitiali ſui ipſius adſtrinxerit metu. Nimirum Vla-
dislaus erat qui laceſſebatur, cui vti totius LAVDIS

Laus, ab ipſo debebatur nomine; ſic Imperium quod ſumma pax obtulerat, cruentus Martis furor laceſſere diu verebatur. Breuiter dicã; quàm diu Vladislaus vitâ incolumis fuit, tam diu vires hoſtium minus potentes, ac minus formidabiles Prouinciis noſtris extitêre. Tunc primùm Polonia vidit, quod licet multoties optauit, vix tamen aliquando ſperare potuit: apertum Ianum ſuum, illam inquam, regnante Vladislao, altam optatamq́ue pacem, vt circumcirca pænè toto ardente bellis orbe, ſolis nobis licuerit impunè tot mortalium periculis frui; habitaueritque omnium ditionum noſtrarum accola, vnus quiſque ſub vite ſua, & vnus quiſq; ſub ficu ſuâ ſecurus. Tunc primùm Comitiorum Conſiliorumq́ue noſtrorum ſolus hic auditus eſt ſcopus, vt non niſi de legibus firmandis, pace internâ procurandâ, armandis finibus, Principis populiq́ue inter ſe ſatis dandis fæderibus, conſtituendâ in omnem fortunam Reipublicæ ſecuritate, tractaretur. Tunc verè Regius in ſubditos amor, Vladislai Regum Maximi enituit, quando non contentus finitimorum pace, non ſolùm diſſidentium in Religione ſecuritatem vſui Reipublicæ retinere ſtuduit, verùm vlterioris vi amoris eam omnino vnitati reddere aduigilauit; ratus quod res eſt, religionem Rerum-

publi-

publicarum anchoram esse, quâ commotâ, difficile est vt non fluctuent hæ naues; nec vllam securiorem Regnis pacem, quàm quæ ab vnitate religionis promanat. Id verò efficere contendit, non tam de nouitatis inuidiâ (vti aliquādo in bonos cautosque Principes cadere solet) timidus; quam de suorum pace internoq; candore studiosè solicitus; quò dignè meruit, vt sicut eum Nicæa Torunensis in Legatis salutauit; ita suum æuiternè deprædicet Polonia Constantinum. Tunc & illud fuit, (quod tamen quia fatis aduersis, ideo nec suo ordine iuit) vt Princeps in Patriam, commissumq; sibi, Diuinâ voluntate populum, intentissimus, quò in omnem casum Reipublicæ prouideret, altiusq; quiddam securitati ipsius prospiceret, Regiis plusquam liberaliter effusis fortunis, denique vitam ipsam obtulerit, in hæreditarios Reipub. prædones, Tartaros inquam, (qui proh dolor, etiam nunc præsentem Patriæ nostræ, inaudito vnquam casu afflixêre statum) armaq; sua fæderatis Moschouitici Ducis, armis sociare voluerit, vt in ipso illorum nido, non studio gloriæ incensus, (iam satis superque anteactis partæ triumphis) nec proferendi vlterius Imperii (cui limitem ipsum mare Maiores nostri posuêre) sed boni publici causâ, neue vltra tot captiuorum millia,

c Chri-

Christiani nominis hostis durâ seruitute depressa barbarum ferrent iugum, bello eos persequens sacrilego ipsorum sanguine, tot innocenter occisorum manibus litaret. Quâ in re, si quid ab ordine debito, legumque præscripto, deuiatum est, certè voluntate candoreq; in Patriam, plusquàm abundè meritum. Quandoque commendat intentio, etiam minus placitura: certè candidæ mẽtis ingenium est, toto amoris (quem cæcum erudita formauit antiquitas) ruere in publicum bonum, impetu. Peccare non potest, qui Patriæ vult benè: quam quia vitâ sua cariorem habuit Princeps, ex eo, nihil graue, nihil indignum Maiestate sua tulit; quidquid liberæ Nationis flagrãs studium, lege publicâ, ab illo imposterum sibi caueri, modestè postulauit. Testantur id supremæ Maiestatis suæ tabulæ, quibus Cygneâ sanè & Regiâ voce, extremum spiritum Maiestatis Diuinæ, Tribunali sistendum, tantâ cum fiducia sui offert intenti, quanta & Regiam mentem, & filialem in Patriam, & Paternum in Rempublicam decet affectum. Vixisses vtinam Regum Optime, & viuus vsui Patriæ Tuæ salutaria dedisses monita! Quàm læti audissemus ea, quæ nunc irreuocabili iacturâ Tui, merentibus ad immortalem Nominis Tui gloriam, Nostrumque profectum, literis

consi-

consignasti! sed accusare fata possumus, mutare non possumus. De amisso bono dolere humanum est, ita tamen dolemus, vt dum vicissitudini nostræ illachrymamur, immortalitati magnarum animarum in simul gratulemur. Si Tuâ Rex pientissime prudentiâ, sapientiâ, dexteritate, vigilantiâ, felicitate, prouidentiâ, liberalitate, cæterisque Regiis virtutibus delectamur; Causas iusti doloris expendimus; Te tamen inter viuos, vt viuum numeramus, ita enim humana sunt, vt incipiant, desinantque: sed hoc denique fatorum solatium; virtus meritaque extra fata. Desiit regnare; non desiit viuere: & viuit, cuius felicitate, Nos dum viueret, viximus. Imò regnat, qui regnare docuit, etiam postquàm desiit. Fortuna in aliis, virtus in Regno Nostro Reges creat; hinc altiùs imperant, quàm alii possunt; quia populi voluntas spontaneè obstricta, latiora protendit imperia. Nihil illis non tutum, quos fida pro muro pectora ambiunt, nec mori possunt, qui non tam mortali Corpori, quàm immortali menti insident. In horum locum succedis Serenissime Rex, Princeps Principum, qui tot Electores habes, quot Nobiles, tot Principes, quot Electores. Et, si gratulari Paternæ libertati licet, hoc ipso maior es, quò Electorum Tuorum suffra-

giis, non ad numerum multorum, ſed ad vocem ſingulorum, Reges Poloniarum creantur. Ita ſcilicet; vt ſicut anima in corpore, ſic Rex in Noſtra mente, & totus ſit in omnibus, & vnus in ſingulis, viciſsimque ametur vniuerſim à cunctis, à quolibet diuiſim. credendum enim Philoſopho eſt, animam plus vbi amat, quàm vbi animat, animales producere effectus. Iam igitur, virtuti Tuæ litamus, qui Tui noſtrâ voluntate ſumus. Scimus Te non egere vel exemplis, vel monitis; qui iam regnas, ſed tamen habes quos ſequaris, quos exæques, vel quos ſuperes. Illis etiam Reges, ſubdi glorioſum exiſtimant; quia aberrare non poteſt, qui Virtuti Maiorum inſiſtit. Piaſti beneficentiam, pietatemque: Boleslai in Eccleſias liberalitatem, & zelum: Iagellonis candorem, & in propagandâ religione ſtudium: Vladislai excelſum animum, & fortunam: Caſimiri fæcunditatem & fælicitatem: Sigiſmundi temperantiam & diuturnitatem: Stephani gloriam, & iuſtitiæ conſtantiam: Sigiſmundi Tertii Patris Tui ſanctitatem ac Maieſtatem: Vladislai Fratris Tui victorias, & triumphos Tibi opto, commendoque. Ita fiet; vt tu Poloniæ, tua Polonia ſit: Noſtrique æui Rex & Princeps non modò omnes Antecedaneos Tuos adæques, ſed ſingulos

ſupe-

superes: habebitque Respublica cui se mancipari gratuletur, cui Imperium exoptet, quem Hostes timeant, venerentur externi.

Nec Tuæ Orbitati desperandum est, Serenissima Regina; scio te amisisse desideratissimum vitæ Tuæ consortem, & quò magis in vitâ iucundum, eò plus perpetuis deplorandum lachrymis. Non ignoro in viduitate Tua, iustissimas acerbi doloris causas; quidni enim doleas, quæ inter candida Tua Lilia tantum nunc ariditatis cernis? Imò verò nouus brumalis incessit rigor, dum à Tuo capite cuncta defluxêre ornamēta, quādo ipso Capite diminuta es. Manebit tamen Tuus ille Manipulus, vt in Te, sic in iis, quos fideles Principi Tuo vidisti, & experta es. Imò quē semper viuente illo regnāteq; Tibi debitum dederunt honorem, hunc Tuæ viduitatis tantò magis memores, prolixè nunc etiam offerent; nec dubita fidem amorēq; erga Te, eorum, semper duraturum. Nos verò, cùm id quod mortale VLADISLAI fuit, loculo terræ importamus, occinamus Alexandrinum illud: *Memento quisquis es, te hominem esse.* O Homo, ô humus! Et quorsum tandem terrenis inhiamus, mox ipsi in terram ituri! Ad securim positi sumus, ignari quid hodie aut cras de nobis

Hoc non dictum, absentia Serenissimæ Reginæ.

d agatur.

agatur. Ecce Regalis defloruit Manipulus, quem nuper ſtantem terra adorauit. En iam ſplendor ille euanuit, ad cuius aſpectum æquinoctialis populus, bis contremuit: cui ipſe oriens, primas partes conceſſit: quem Aquilonares, icto fœdere venerati ſunt: ſub cuius claritate, Orbis noſter turbidum nihil, nihil tenebricoſum vidit. Quomodo cecidit Clypeus Saul, clypeus fortium! Numerauit dies, tanquam non eſſent; quia mille anni ante oculos Domini, ſicut dies heſterna quæ præteriit. Ite, ite iam Proceres Regni, Patriæque Ciues, Veſtri Domini ſpolium mortalitatis efferte, relaturi hoc ipſo benedictionem à Domino, quia feciſtis miſericordiam cum Chriſto Domini. Illud autem ſolatii in luctu Veſtro ſit vobis, eum vos humeris veſtris intuliſſe, qui tot annis Patriam noſtram, Cælum inquam Sarmaticum Polonus Atlas, Voſque ipſos ſummo veſtro bono, feliciſſimè portauit. Tu verò Supreme Regum, Rex Optime; quando iam noſtri Manipuli, Maieſtati Tuæ placituram recipis ſegetem, patere, vt ab hinc, in tantum alius matureſcat, quoad de ſemine eius condigno, Tua Polonia adoleſcat.